

**www.e-rara.ch**

**Systema philosophiae universae**

**Hespelin, Oswald**

**Weingarten, 1762**

**Zentralbibliothek Zürich**

Shelf Mark: RRI 221,11

Persistent Link: <http://dx.doi.org/10.3931/e-rara-35220>

Psychologia.

---

**www.e-rara.ch**

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

---

**Nutzungsbedingungen** Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

**Terms of Use** This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

**Conditions d'utilisation** Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

**Condizioni di utilizzo** Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

De Angelis in specie. §. 30. Quum de Angelis ignota sint ferme omnia, etiam parcissime de iis disputavimus. Quomodo sibi colloquantur, corpora moveant, ea ex aere, ut vulgo creditur, sibi adaptent, omnia nos ignorare ingenuè fatemur. Necque ut hac ex causa Scholasticos quis etiam Theologos accedat, suademus; solidi ibi nihil, nihil quibus jure adquiescat, inveniet. Ostendimus ramen

XLII.

Angelorum bonorum possibilitatem, & malorum saltem posteriori existentiam.

## Psychologia.

Quid docendum circa existentiam,

§. 31. **N**obilissima si quæ alia, hæc certe scientia est, qua deum homines sumus, cognoscimusque *præstantiam animæ nostræ, virium ejus & facultatum.* In hac itaque demonstravimus:

XLIII.

Existere Animam:

XLIV.

Materiam vero cogitare non posse.

§. 32. Tum egimus de essentia animæ, & facultate ejus cognoscitivam inferiorem, regulis ejus & cautelis. Hæc facultas comprehendit facultatem sentiendi. Docuimus itaque quomodo sentiamus: quid ideæ materiales in corpore, & immateriales in mente: quam potestatem anima habeat in sensationes. Completitur item facultatem imaginandi; ubi de imaginatione & lege ejus: de somniis, figmentis, inventione & imitatione: de memoria, oblivione, reminiscencia; de earum gradibus & modo eas perficiendi. Facultas cognoscitiva superior includit attentionem, reflexionem, vim abstrahendi & comparandi. Quid sit intellectus, & quæ ejus vires: quid profunditas intellectus: quomodo futura prævidere possit: quid intellectus purus: quid cognitio intuitiva & Symbolica. Quæ facultates concurrant ad formandas ideas universales, judicia & ratiocinia: quam sollicitè distingu-



tinguenda sint ea, quæ fiunt in corpore, ab iis quæ in anima contingunt. De arte inveniendi, de ingenio, & ratione. Quid fit conforme, quid contrarium rationi: quid soliditas rationis: quid ad rationem conferat usus sermonis: quid ratio pura, & acumen ingenii. Denique de experientia & diversis cognoscendi modis.

## XLV.

Essentia animæ consistit in vi repræsentandi sibi universum, limitata per corpus.

## XLVI.

Ejus facultates nec inter se, nec ab essentia distinguuntur.

## XLVII.

Somnia oriuntur ex sensatione, & continuantur per legem imaginationis.

## XLVIII.

Commune idearum receptaculum non est memoria, sed imaginatio.

§. 33. De facultate adpetitiva inferiore docuimus, quid sit voluptas, quæ constans, quæ mutabilis, qui ejus gradus. Quid sit Circa facultatem adpetitivam inferiorem, displicentia, tædium, nausea, indifferentia, dolor &c. Quid sit bonum vel malum judicio sensuum: quid vere bonum. Quid adpetitus sensitivus & averfatio sensitiva, quid defectus adpetitus & percepturatio. Quomodo determinetur anima ad adpetitum vel averfationem: quomodo exinde determinetur motus corporis, organorum, & aliorum corporum, quantum in hominis potestate posita sunt. Quid sint adfectus, & quare in iis anima perturbetur. De lætitia, tristitia, amore, odio, invidia, misericordia, irrisione, adquiescentia, pœnitentia, gloria, pudore, gratitudine, favore, spe, fiducia metu, desperatione, terrore, vacillatione animi, pusillanimitate, desiderio, ira &c. Quomodo vehementiores reddantur, & adtentionem impediunt, & quid demum sit status servitutis seu esse mancipium adfectuum. Superior facultatis adpetitivæ pars complectitur voluntatem, & fit & superior- verbo venia, noluntatem. Quid sit utraque facultas, & quænam rem.  
D lex,





lex, ad quam se adtemperat. De motivis: de voluntate antecedente & consequente; de consuetudine, libertate & ejus divisionibus, de voluntate libera, & indifferentia perfecti æquilibrii. Ex his decidimus.

## XLIX.

Voluptatem & tædium non esse Species adfectuum, sed potius adfectus omnes in diversa voluptatis & tædii modificatione consistere.

## L.

Voluntatem nihil adpetere sine motivis, & quidem, ut ipsi videntur, optimis.

## LI.

Nihilominus animam esse liberrimam.

Circa Com-  
mercium  
corporis &  
animæ.

§. 34. De *Commercio* corpus inter & animam ea, quæ certis & claris experienciis habentur, præmisimus. Deinde explicuimus tres præcipuas ea de re hypotheses, *influxus nempe physici, causarum occasionalium, & harmoniæ præstabilite*. Quarum tamen

## LII.

Nulla mirabili huic naturæ mysterio explicando sufficit.

## LIII.

Systema autem harmoniæ præstabilite libertati non repugnat.

Missa de his hypothesibus lite exposuimus denuo, quid fit generari, interire, corrumpi, adnihilari, & esse immortale. His nitide definitis evincere studuimus,

## LIV.

Animam hominis esse immortalem, & ex essentia ejus colligi posse, Deum eam velle in ævum vivere.

## Zoologia.

Quid docen-  
dum de bru-  
tis.

§. 35. **P**ychologiæ finem dedit tractatus Zoologicus de brutis. Differuimus autem de animabus earumdem & viribus. De quibus plura longe sciremus, nisi præjudi